ΑΡΧΩΝ
LIBER

In quo recepta VETERIBUS

Rerum Principia

Funditus evertuntur

Et NOVA,

Ut in

NATURA

Verè sunt, stabiliuntur.

Authore *Richardo Browne*
è Coll. Med. *Lond.*

LONDINI,
Excusus impensis Authoris, & venalis prostat apud *Thomam Passinger* ad insigne trium Bibliorum super Pontem *Londinensem*. 1678.

BIB. CAN. ACAD.

878 : 98

Lectori S.

HOc in libello (Candide mi Censor) quod sensi, locutus sum; neutrum cum plurimis. Odium si præmio, hoc scito Partum Veritatis indignum; sin Moris tyrannidi mecum superstis, præsiscine alterne-

mus

mus laudes, mutuo nos dedisse gratum, & accedisse. Venia facinori oranda nulla est; quæ ferimus enim Principia non petimus. Ex Datis ideo indubitato, non ex precario Postulatis, disce scire, beneque velle

Bene consulenti

Richardo Browne.

Περὶ

ἈΡΧΩΝ.

CAP. I.

De Principiis in genere.

TAm Naturæ Syſtema quam Fidei firmo ni inſiſtat fundamento, ad levem quamlibet ventilationem vacillat, & ut Domus ſuper arenam tandem decidet. Malis omnino auſpiciis *Palladis* arcem molitur, qui poſituram non reſpicit: quicquid enim in

Principia precaria ſtruitur, inimicis objectionum cuniculis obnoxium erit. Uno ex abſurdo poſito novimus mille ſequuta, & opus ex falſis elaboratum quanta errorum prodierit farrago. Pulchra ſunt hallucinantis ſomnia, qualia Medici referunt de melancholico quodam, qui tibicines, quorum ideas phantaſia harmonicas falsò formaverat, abigendos ſanè pronunciavit, cum revera Aulam ſuam altum tenebat ſilentium. Sic ſapiunt nonnulli ex hypotheſi. *Arachnes* more telam mirâ arte texunt, *Palladis* æmulâ, ſed quæ nulli inſervit uſui, quippe ex filo nimis te-

nui,

tenui. Ut è *Jovis* cerebro exiit *Minerva*, sic *Vejovi* cuilibet (Diis si placet) sua erit propago, sic Philosophi creaturæ, quæ Natura non agnoscit, phænomena. *Prometheus* quisq; Philosophicus igniculum quendam e moralis suis notionibus suffecit, sed vidimus evanidam vim plasticam cum Authoribus ipsis expirâsse. At Nobis cum reputemus Commoda aut Dispendia quæ ex bene male ve positis Principiis humano generi obiuntur, & temerè inperpensa mentis nemo sanus ea sibi arripiat. Principia vera essentiam rebus, nobis scientiam suppeditant;

falsa tot peperere Chimæras; & quasi semen æquivocum monstris Philosophicis ortum præbuere. Natura ejusq; primordia quantas in Medicina sumsere partes, Medicus nemo ignorat. ¶ Natura enim Medicorum tutela, sartamq; tectamq; illam tueri horum provincia est. Corporis humani principia bene nosse, ut quid secundùm naturam, quid seciùs fit, scire ex quibus utraq; constent, requirit. Quod domibus & fundis, fortunisq; *Crassi*, Dei donum, non cedit, humana salus, non aliis tenetur legibus quàm quas ille Opifex rerum FIAT suo imposuit: & Sacrosanctas

hasce Tabulas Medici est contemplari, clientes suos ut ad legitimam perducat crisin. Quam pulchrum & tutum naturæ labyrinthum filo analytico ingredi, & ab effectu per media percurrere ad causam naturâ primam; abhinc verò orsum filo apodeictico per causas intermedias ad effectum recurrere? Sic se Medicus hoc *Ariadnes* filo naturæ ministrum præbeat & liberatorem, nec minùs morbi monstrorumq; domitorem. Qui falsis autem nititur Principiis, Artis quanta jactitet, miri quantilla in medendo efficiat, hæc tota arti non magis debentur, quàm nugæ

quas mendax vendit Agyrtes, aut ineptiæ quas inhabilis blaterat Empiricus. *Æsculapio* certè, si Naturâ, reluctante, fit Medicus; cui enim hæc sui copiam non fecerit, pascere oportet oves non medicari. Quot funera in circumforaneorum carnificina celebrantur? Cæci isti *Acherontis* filii, bubones, humani generis pestes, ut olim *Ascalaphus Proserpinam* provinciam suam cum *Plutone* partiuntur, ni suorum longè majorem partem ad *Tartara* mittant. Sin morbo quem absolvant, eadem sibi methodus, quæ militi cum *Cæsi* filio fuit, *Intentant parricidium*,

um, reclamat elinguis: hinc famosa curarum suarum miracula. Coràm sistamus vividi vegetiq; corporis hominem, cui ultimam manum bona Salus inposuit, necnon ex opposito macilentum, squalore languenteque tabe prope enectum. Respiciamus fluxus refluxusque sanguinis periodos æquabiles, & perturbatos Causi æstus, rapidos per venas turbines, perq; caput vertigines, & quanto facultates munera sua recte obeuntes malumus dolore & morbo cruciante, tanti interest Naturam probe calluisse.

Nec Theologus Naturæ

campum peragrari dedignatur, ſed DEUM inter opera ſuſpicit, & in opere miratur Artificem: immò per Literas Sacras Naturæ magna multaq; DEI fide nobis traduntur, quæ ſub ſcientiis falsò vocatis non cadunt. Hoc Mundi viſibilis creatio inde tradita, hoc Iris non fictæ Reginæ Cæli ſed veri placati DEI læta nuncia teſtatur. Natura ſi penitiùs inſpiciatur, Divinitatis quædam prodit veſtigia, & in hac, tanquam ſpeculo, viſui Numen objicitur, oculi aciem quod ipſum effugeret.

Præsentémque refert quælibet Herba DEUM.

Artificum tribus & Agricolarum gens, imo quisquis sibi aut aliis quid valde proficui perficere vellet, ex Naturæ penu optatas sibi divitias repetat, necesse habet. Multa, fatemur enim, præclara & utilia inventa habemus; in hoc autem feliciores sumus quàm sapientiores, id casu nobis obtigisse, quod consilio ne capere quidem potuimus. Quanta autem in Naturæ sinu restant, quæ re-

ctâ viâ ingredienti olim patebunt, divinare liceat ex iis quæ per errores philosophantibus jam patefacta sunt. Spes non exigua ex Cynosura vera nobis affulget, mare quis modò paratus tentet, fortunatarum Insularum litora tandem legere, forsitan & ipsas habitare. Ad Mathesin tantam pertinet, Principia omnia ad rationem reddendam, quousque constent, compellamus. Alias enim ex absurdis præteritorum placitis non solvemus, sed moriemur usq; ignorantiæ indigites. Vale ideo cognatæ patriæ dicto, in incognita Scientiarum terra

ra id latere quod utrisque non cedit Indis, credidisse pro Celausmo sufficiat.

CAP.

CAP. II.

De Ortu Philoſophiæ, ejuſq; Errorum.

CUm Philoſophi ſit cauſarum inveſtigatio, rerum fontem pede preſſo rimanti Philoſophus nemo ſui gnarus rivorum turbationem objiciat; nec læſæ Authorum dignitatis rei habeamur, eam authoritatem modò ſolam, cui veritas, & res ipſa refragetur, vilipendamus. Philoſophia huc uſque à nobis exculta

exculta Athenis ſuos debet natales, ubi ingenia ad roſtra & theatrum nata, quibus dicere quàm agere majus multo habitum fuit: inde rixoſum genus ſumus & diſputationibus dediti. Naturam non niſi aure tenus noram prædicamus, de materia, forma & ejuſmodi incertis certa pronunciare in proclivi eſt; at ex pulchris hiſce ſpeculationibus utile quam parum proveneriit, indidem doctrina ad Scientiam & Praxin quàm non proficua, teſtantur ignaræ dubitationes, & inhabilis rebus in agendis imperitia. Nec ſuſpicio minimè levis oboritur cauſas

rerum

rerum (per quas sciri ut & fieri debent) nondum innotuisse; Scientiarum enim tam splendidè molitarum ruina non nisi Principiis tantæ moli cedentibus referri debet, cum ipsa sit basis vacillans, quæ fabricam rite superjactam firmam esse prohibeat. Quærere ideo liceat, an non ipsis Principiis, quæ passis ulnis & supinâ negligentiâ tanquam veritissima amplectimur, amplexa autem arctiùs retinemus, dandi sint nostri errores. Dum enim tumultuarie & ordine inverso rem aggredimur, si militer iccidit nobis. Crudas præcocis ingenii notiones avidè imbibimus,

mus, ex quibus oborta indigestio, quæ fumis adeo tantavit capita, ut Mundi machina nunc vertigines vorticesq; visa quibusdam fuerit. At facilius sumuntur quàm sumpta stabiliuntur axiomata: & melius res philosophica administraretur, eodem nunc dierum modo si ejus placita, quo olim medica, statuerentur. Ante enim inventam Medicinam, ad Æsculapii fores vulgare quodlibet & anile medicamentum, quod quis sibi levamen invenerit, ut programma in morbi terroreth, affixum fuit: circa quæ singularia inventa *Hippocrates* aliiq; magni

ni nominis Viri fæliciter philosophati sunt, inde aurei aphorismi, & ex historia medica tot bene posita medendi axiomata exorta, quæ gaudio miseris, gloriæ Medico sunt. At *Pythagoras*, *Plato* & *Aristoteles* opus supra vires animo complexi sunt, & audacia plane infelici Universalia Axiomata dedere, quorum plurium veritas in particularibus desideratur. Qui tamen Doctrinæ suæ ultimam posuere ἀκμὴν; placita quasi sua discere & mirari suis permisissent; addere quid, præter discentium morem fore & Magistri dignitatem statuissent. Sequimur

enim non paſſibus æquis, quod argumento ſit ingenium in his ſuperaſſe doctrinam, & provinciam ſterilem bene adminiſtraſſe. Sed ſcinde *Thalia* libellos! Artes mechanicæ indies ſumſere incrementum, dum Scientiæ ut Antiquitatis monumenta coluntur non fructificant. Et quanto manus ſit doctior cerebro, magnum Scripturæ compendium typi teſtantur, nec non pulvis tormentarius, & alia nobilia Chymiæ inventa, quæ non cæcis ſpeculationibus ſed manui oculatæ patuerunt. Et circa ſuas opiniones defendendas quam miſerè ſe

torſerunt nonnulli, dum ad quæſtionem propugnandam magno Diſtinctionum ſatellitio prodeunt? Poſt varias autem hinc inde dimicationes, immò ultra decennale forte duellum, eadem reſtat controverſia. Ubi verò Veritas, ipſi quæramus, cum ne ulla ejuſdem ſcintilla ex conflictu tanto emicet. Præterea, Barbaries, & cæca rerum Ignorantia maximam hominum partem occupavere, & paucis admodùm vacavit literas colere: Bello enim aut Agro, artibuſq; vitæ communi inſervientibus totas ſe olim dedere. Pacatis autem rebus,

Docti

Docti Naturam ulterius non ſcrutati ſunt, quàm ut Doctrinæ opinionem apud Populum præſtarent,&Alti quid ſapere ut viderentur, dum Moribus excolendis, Naturâ ſibi relictâ, operæ maximum inſumebant. Nullum enim Naturæ ſtudioſis præmium ſtatutum erat,cum morum Magiſtris, & rerum civiſium curatoribus Ampliſſimi deſtinabantur honores, & copioſiſſimæ cumulabantur opes. His autem dum inhiant, Naturæ delicias divitiaſq; ſpretas prætereunt. Et ex iis qui naturam ſecuti ſunt, quis non ſectæ alicui ejuſve Authori ſe totum ad-

dixit? Pleroſq; tanta Majorum tenuit reverentia, ut cum eis non ſenſiſſe ſibi religio ſit. Tam ſplendido enim apparatu Duces philoſophici prodierunt, ut regios illorum nutus ſequacia hominum ingenia ſanctiſſimè obſervaverint, & tam firmè ſe ſubjugarint, ut ſcientiæ quid neceſſarii tanta fugiſſe Capita, piaculum ſit cogitâſſe. *Pythagoras* quiſq; ſuis numeris adeò abſolutus, ut ſuum DIXIT *Delphos* certitudine antecellat, nec veritatem æq; ac authorem cultores ſapiunt, dum totum Scibile ab eo definitum exiſtimant. Sin Philoſophico

ſuo

ſuo Numini deeſſe quiddam exiſtiment, huic tamen manum ulteriorem addere, relictæ tanquam *Apollis Veneri*, reformidant. Dum Bibliothecas ſub magno Voluminum pondere gementes aſpiciunt, tanto oneri ſuos humeros impares omnino ſentiunt, & rem bene iis ceſſiſſe reputant, libros modò aliquot evolvant, & ſecundùm lectos propria quadrent ingenia. Et ſorte traditâ contentus, qui poteſt, ſit; ſed ipſe conjicio illum qui tumidiſſimos eorumque plurimos authores memoriâ tenet (quod pro temporis periculo magno-

pere nemini ſuaderem) Encyclopædiæ gyrum non unicum ſenſiſſe, ſed ad tædium uſq; multiplicem; & quo plures quis legat Authores, eo certiùs inveniet nihil dictum priùs non dictum fuiſſe. Omnes enim in eodem curriculo exercitati, rem eandem diverſis ſolùm modis tractant, meliore ſæpe Priores; ſic *ætas Parentum pejor Avis*. Ut pueri nutricum terriculamentis, ſic impedimentis falſis hominum mentes à novis quærendis terrentur, & parum adeò huc uſq; promoverunt, ſibi quoniam omninò deſuere.

CAP. III.

De Methodo Antiquis in uſu circa Axiomata excitanda.

OMnium (quotquot jamdiu ſpecioſa extitere) circa Naturam axiomatum inveniendorum ratio improbanda omnino videtur. Ab ipſis Philoſophiæ incunabulis homo homini fuit Deus. Sequiorum inventa ſunt primi hypomnemata, & magis in aliorum circa rem opi-

nionibus, ipsâ quàm in re pleriq; sunt versati. Post naturam nostram mali cognitione inquinatam, mendacii pater, maliq; idem nobis auctor clarum intellectus nostri lumen erroris fædâ caligine obfuscavit, & id boni, scientiam cujus ostentabat, malo totum conturbavit: huic fidem facit nostri Naturæque Scientiæ corruptela; plus quam facit Sacro-Sancti nominis JEHOVÆ in maleficas Magiæ artes invocatio. Hostis hic noster sui culturam rerum notitiæ in tantum immiscuit, ut naturæ Mystes, superstitiosis nisi ritibus initiatus, olim nullus

fuit;

fuit; præſertim in Ægypto, illâ illuſionum patriâ, ubi oſtentoſa Sacrorum ſeries omnem religionem & ſcientiam in Sphinges finxerat & ænigmata. Ibi enim Sacerdotes Naturæ cum veneratione quadam perditè intenti, quæ contemplati ſunt colebant; Cæpe evellere, ut nunc male Mandragoram, horruerunt; & felis cædes percuſſoris, civis licet Romani, capite plectenda. Ab his Græci ſcientiam ſuam, ſeu ſcientiæ magis famam aucupati ſunt; ſat enim ſibi nominis erat, aut non aut malè intellecta de Barbarie in ſuam Græciam tranſtuliſſe: &

ex

ex hoc fonte arcana noſtra emanarunt philoſophica. Cum Patria, quod petebant, huc ſi animadvertiſſent, ſatis ſuppeditaſſet, ad manum quippe extabat philoſophandi, quam à longinquo adſcivere, materia: Terra quælibet hujus ſatis ferax eſt, nec Natura ulli niſi negligenti peregrina unquam fuit. Animalis ſibi quiſq; exemplari ſit, nec immerito microcoſmus habeatur, nam unicum hoc naturæ opus ſit inſtar omnium. Sed domi peregrinamur & incuriâ magnâ noſtra neſcimus, dum aliena inſequimur. Naturæ œconomia cuilibet patet rite contemplanti;

templanti; non eſt quòd ab Indis ortus rerum & interitus quæramus, idem quemq; Sol luſtratur, eodemq; cœlo nos omnes cooperimur, ſed id operæ non damus, rei quod ſubſtratæ debetur. Olim ex ſuperficiaria valde rerum contemplatione, audaciâ plane infelici, generales quaſdam notiones alii colligebant, quibus ornandis & ſtabiliendis magno ſtudio alii contendebant. Quæcunq; tandem ſtatuta fuerint, nobis poſteris, *Herculis* tanquam columnæ, ulteriorem progreſſum prohibuere. Sed minùs tutò his acquieſcitur, ejuſmodi

modi axiomata indebito ſi modo excitata fuerint, quæ à perfunctoria ſecundùm ſuam cujuſq; phantaſiam contemplatione, non ab acri ſecundùm rem ſcrutatione profecta ſunt. Haud tanti eſt levi ex regionis de cacumine aſpectu eandem deſcribere; at qui & quales Incolæ, cœli ſoliq; ingenium, Urbes, Oppida & Prædia quæ ſint, hoc gnari eſt Topographi. Sic ex alto animi conceptu confuſas de natura notiones proferre quis valeat; longe autem ab hoc aliud eſt, omnes per Naturæ anfractus ferri, & quæ ſubtus latent vires in rebus exquirere,

quirere. Varias vel rerum ſpecies nominare quis potuit, quanto minus ſingulas uniuſcujuſq; naturas noviſſe? Almæ matris terræ ſunt partus innumeri: in ſylvis quot arbores & frutices, in agris quot herbæ, & quibus pollent virtutibus, dicat, & erit mihi magnus *Apollo*. Maria etiam & flumina multiplici incolarum ſtirpe affluunt, quæ Delio egent Urinatore ad vires ſuas expiſcandas: nec non ipſius Terræ viſcera multis farciuntur foſſilibus, quæ quàm quid valeant quærere, ad metalla mallem damnari. Non unius certe hominis eſt

eſt, omnia hæc ut ſunt noviſſe : quanto autem ſtrepitu de his omnibus clare pronunciarunt Philoſophi, quæ ſingula vidiſſe ſibi nunquam contigit? Dudum enim in more fuit inexpertò loqui, & pro comperto quod aſſerunt perpauci hunc uſq; diem habuere. Magnum videtur, pugno quaſi totam Mundi machinam coegiſſe, & univerſalibus quibuſdam notionibus τὸ πᾶν comprehendiſſe, quod & arduum damus. Nomine tenus ſpecies rerum varias vix norunt, nec quas ſic incertè noſſe contigit, ut ſunt definiverunt; non adeò tamen incerta

certa per longè incertiora deſcripſerunt. Formas enim ſpeciebus ſuis multo eſſe ignotiores quis it inficias? Species ſentiuntur in individuis, ubi formæ, quæ perhibentur, quærendæ ſunt. Sic malè ſuſceptarum notionum pluſquam ſatagunt, & ex Erroribus propriis negotium ſibi mirè faceſſunt. Sin ad ſcrutanda Naturæ opera ſincero ſe animo accinxiſſent, & mentis tantam aciem in res ipſas convertiſſent, quam ſpeculationibus à rebus alieniſſimis obtundebant, oculatiores hodie in naturæ ſecretis nos eſſemus, & quam ſpem poſteris relinquimus,

eâ

eâ ipſâ nos frueremur. Philoſophos pudeat literarum rudem & incultum agricolam agrorum, ſeminum & quodcunq; terra ferat, inſpectione plus profeciſſe, quàm ipſi per Sapientiam ſuam, ictu licet oculi per Terrarum orbem ferantur, & Æthera mente concipiant. Ingenii ſui deſultatione agilitatem non utilitatem oſtentarunt. Umbratiles hujuſmodi Magiſtri radios ſolares metuentes, in Muſæis ſuis Phyſicæ Syſtemata inter antiquorum monumenta quærunt, & quæ ſibi placeant, talia excudunt: Natura cum poſtulet miniſtrum laborum minimè

minimè contemptorem, ne ſervilium quidem. Chymia Naturæ illa clavis, quantum ſapit ſterquinilium? quàm ſordet cinere & fuligine? Non eſt quòd vulgare quid hic ſpernamus, in ipſis quos calcamus lapillis id latet, quo patefacto verus gauderet Philoſophus. Sed plures elati animi flatu ſuperbientes prætervehuntur quicquid plebeio in mentem ſubire potuit, inde ſuum

Odi prophanum Vulgus...

quum ipſi plebs fuerint, & tam ſtupidi, ut ea, quotidie quæ coràm ſunt, neſciant.

Abſtractâ enim ſpeculatione tam longè ſummoti, & à rebus obviis ſe alienos adeò geſſerunt, ut hiſce oris advenæ eorum plerique viſi fuerint. Nonnullis Eruditionis alumnis id accidit, quod albæ gallinæ filiis ſolet; Tritici ortum, unde panis, cujus adeò implentur, bos arator, æqui ac illi, explicare poteſt: Sic animi præ quadam mollitie, ingenio cætera probe dotati, tenerâ & cute tenus rerum ſcientiâ ſibi placent: at floſculi hi raptim avulſi cito marceſcunt, cum planta integra radicibus permiſſa ſuis perennaret. De Univerſalibus pulchrè

pulchrè differentem audire eſt, qui ad hoc vel illud individuum tanquam ad lupum, fabulam deſineret : auribus tamen veluti aſininis (quis enim non habet ?) quaqua verſum ducimur, & quod Magiſtri dixerunt audaces, ipſi credimus ignavi.

CAP. IV.

De Ariſtotele, *ejuſque Philoſophia.*

INter omnes Philoſophiæ Sectas maximè obtinuit Peripatetica. Nam impari longè regnandi fato *Ariſtoteli* contigit imperium & *Alexandro*; hic vitam & Regnum eodem clauſit die, ille verò unicum ſibi ſummum ſtabilivit Imperium, nec Sceptrum teſtamento ut olim Rex ſuus, tradidit digniori.

niori. Imperator hic literarius Tyrannidem, in supinam & sequacem Doctorum gentem, duram egit & perennem: Ut intelligendi Arbiter viam ad Inventionem sternit, errorem qui versùs ducit; in sic stratam tamen viam tortas compellit notiones suas, quæ multo clamore Philosophorum animos in sui fidem impulerunt. Sic *Aristoteles* sibi placita pro principiis posuit, & precariò assumpta jure sanxit philosophico; immò ferro, flammâ, fame pessundetur Veritas, sub errante Dictatore ni mereri lubeat. Quid enim aliud innuit Scholastico-

çorum jure injuriâ Magiſtri in verba ſui aſtrictio? Hac certè ratione *Stagira inter alias tantum caput extulit Urbes.* Dictator nobis Philoſophiæ perpetuus Mundum totum in unam coegit Categoriam, viz. Subſtantiam, & deinceps pro ſua Munificentia novem præterea aliis adornavit, pugno ſuo dialectico dum totum Scibile comprehendit. Varia pro arbitrio Principia cooptavit, hæc verò in alternum ſubſidium magna ſub Diſtinctionum interpretatione evocat; in hoc maximè cauſandus, quod ſecundas ſuas notiones leviter & temerè de rebus effor-

efformaverit, ita efformatas pro veris mordicùs teneat, & his tuendis operam longè majorem det, quàm verò ut in rebus eſt, inveniendo. Phyſica ſua ſapit Dialecticam, ubi plura traduntur quam aguntur, & Problemata tranſeunt in Theorias, aut Diatribas prorſus inutiles. Cuiq; rem verè reputanti patebit, Prædicamenta in Logica, Materia & Forma, Quantum & Tempus, Motus & Quies, & ejuſmodi plura in Phyſica, quam mutuò ſibi operam præſtant, quantum facultate in utraque ad loquelam valent. Materia ſe habet ut Genus,

Forma ipsissima est Differentia. Varia tandem de incertis, luce tanquam clarioribus, Axiomata, mihi non enumeranda feruntur, quæ divite vena Paraphrastis in *Aristotelem* paginam omnem implerunt. Nec Rationis solùm sed & Religionis Magister visus est *Aristoteles:* Theologis enim Christianis multis abhinc retro seculis in more fuit responsa ab hoc Oraculo petere, & Verbum DEI ad ethnica hujus Sophismata, lapides tanquam ad indices, exigere. Hinc Scholastici in suis Summis & Commentationibus veritatem Christianæ Religionis ex

Princi-

Principiis & Authoritate *Aristotelis* deducere, & asserere haud veriti sunt; magnâ dum rerum varietate sectatorum animos permulcent, & Divina humanis, Vera falsis permiscent. Tandem, florente hac doctrinâ, studium partium Republicam literariam distraxit: Scotistæ & Thomistæ, Nominales & Reales in se invicem copias effudere, & rixis spinosisq; quæstionibus Theologiam undequaque implerunt. Et amissam Unitatem, quam mœsta hodie deflet Ecclesia, quid aliud dirupit, quàm horum Distinctiones schismaticæ, quæ à recepta Fide sentire

ſentire diverſum docuere? In Syllogiſmis & ratiocinandi formulis unus *Ariſtoteles* omnes alios anteceſſit: claudicat tamen in rebus ipſis Doctrinæ ſuæ Methodus; naturam notionibus contorquet, non notiones naturæ applicat, multa tanquam indubitata ſibi aſſumens, quibus fides nobis quærenda; & ſic de Principii petitione miſerè laborat. Contra Principia diſputare liceat, nec ſcepticè tamen, ex ſuis ipſius placitis refellentur: Et magnus ille Vir quàm rebus ipſis, conceptibus de iis acriùs attentus, quantum errandi

Cam-

Campum aperuit, ex Principiis ſuis poſtea funditus everſis patebit.

CAP.

CAP. V.

De Privatione.

DE triade Principiorum *Aristotelica* (Materiâ, Formâ, & Privatione) maximè dubia est Privatio, quæ an sit Principium acerrimè semper disceptatum est: nam Privationem rerum essentiam intrâsse nemo huc usq; asseruit; & quam personam, quas partes in Generationis scena

ſcena gereret, admodum pauci aptè aſſignarunt. *Protea* noſtrum privativum, Tranſmutationi dum operam dat, quo teneat nodo, Philoſophus neſcit. Definitionem rei ſi perpendamus, non Ens ſed Negationem de ente inveniemus; Quid enim aliud eſt abſentia Formæ in Materia aliquâ quàm negatio Formæ de eadem? At id parum philoſophicè Principium ſtatuitur cujus eſſe eſt non eſſe. Quantum verò ad inductionem unius Formæ faciat abſentia alterius, ipſe non video, nequid agnoſco, præterquam, ut nova Materiam aliquam ingre-

grediatur, quòd illa antiquior egrediatur & nuperiori cedat. Vaga hæc & ſine ratione Metempſycoſis, ſic imbellem feroces progenerent Aquilæ Columbam, ſic *Pythagoras* tranſeat in *Ariſtotelem*. Hoc modo, ſupra quod fingere auſi ſunt Poetæ, Monſtrum dabitur, nec veritati diſpar cogitari ulla poteſt Chimæra; Anima Elephantina maritetur muſcæ, & in gratiam coirent magis aſyſtata. Et ejuſmodi nugæ ſi pro Principiis ponantur, puerilia mendacia & aniles fabulæ habebitur Philoſophia: hæc tamen placita ævi cum diſpendio magni

gni nominis Viri tenuerunt, immo coluerunt: & omnes ab *Aristotele* magni emimus nescire.

CAP.

CAP. VI.

De Forma.

CApitibus Peripateticis quanti fuit Forma, hinc liquet; quòd ſuum Eſſe, Agere, & Diſputare huic accepta ferant; fortiſſima argumentorum agmina inde duxerint, Triarios inde ſemper invictos. A Forma tamen ipſam ad evertendam copiarum ſatis nunc tandem deſcivere. Et nos, qui milite Peripa-

Peripatetico oppugnare paramus, ante commissa signa, qui sit hostis, explorabimus.

Forma perhibetur Principium activum, quod cum Materia constituit compositum substantiale: Eadem dat Esse, Operari & Distingui: Generatur & corrumpitur: De Materiæ potentia educitur; Materiâ tamen multo dignior: Sensum fugit: In indivisibili constat, neq; augetur neq; minuitur ad quantitatem compositi: Et Substantia est.

At Substantiam haudquaquam esse contendimus: Nec enim materialem agno-

ſcimus, nec immaterialem.

Quo minùs ſit materialis, multæ prohibent rationes.

Ex *Ariſtotelicorum* ſententia nil materiale ortus & interitus eſt capax, quorum tamen utriuſq; Forma ſuſceptibilis eſt. Ultra poſſibile naturâ poſitum eſt, minutiſſimum Materiæ pulviſculum ad nihilum redigere, aut ejuſce tantillum generare: Quum innumeri in natura partus, totidemq; mortes, Formarum ortum & interitum quotidie nos doceant, ſimul & immaterialitatem.

Formæ indiviſibilitas vetat eam eſſe materialem. Materiale ſecundum Philoſophos

phos per se est quantum & divisibile. Sed quomodo inter divisibile & indivisibile convenit, non video, nisi perridiculè dicatur totum in toto divisibile esse in partes; Totum verò in qualibet parte non ita esse.

Forma si sit materialis & corporea, officio suo fungi nequit, quum ipsius corporeitas, secundum Doctrinam Peripateticam, eam impediat Materiæ minimas partes permeare, ejusq; dimensiones penetrare. Sin parti minutissimæ Forma desit, totum non informatur. Sed necesse est, Forma ita se habeat, ut toti informato immiscerì

possit, quod rei materiali non competit.

Pro Axiomate habetur inter *Aristotelicos*, Omnia fieri ex contrariis, cui refragatur Formæ ex Materia ortus, sicut etiam Substantiarum non-contrarietas. Positâ itaque Principiorum contrarietate, ruit Formarum materialitas.

Frustra etiam Operationum origo Formis defertur, hæ se suum Esse Materiæ debent: Nam Materia, quatenus causa Formæ, Operationum ejusdem causa est. Sic Principium merè passivum omnium operationum fons & origo erit.

Quod

Quod Forma non ſit ſubſtantia materialis, multis rationibus oſtenditur.

Inter Philoſophos decantatum eſt Formam è Materia educi, quod ſi ſit, aut ex Eſſentia Materiæ, aut ex ejus Accidentibus. Non ex Eſſentia Materiæ, quicquid enim inde ortum habet, ipſum materiale eſt.

Sed & lex Principiorum ab *Ariſtotele* lata eſt, Principia non fieri ex ſe mutuo; ergo Forma non eſt ex Materia.

Nec Forma ſit ex Accidentibus Materiæ. Peripateticis enim diſſonum eſt, Subſtantiam ex Accidentibus

oriri. Sin Forma ex Accidentibus Materiæ fiat, ipsum esse Accidens remanet, quod secundùm *Aristotelem* absurdum est.

Præterea, posito quòd à Materiæ Accidentibus Forma habeat Originem, non tam Forma pro Principio habenda est, quàm Materiæ Accidentia, quæ huic dant Esse suum.

Neque Forma fit ex Nihilo: ita enim formæ creantur non generantur.

Absurdum etiam videtur Plumbo aut Ferro formam immaterialem, viz. Spiritum assignare. Sic Fungi, ut Astra, intelligentias suas haberent. Sed

Sed Formarum corruptio negat earum immaterialitatem: Sic enim Agens & Patiens genere differrent, quod fieri nequit.

Sin corrumpantur immateriales hæ ſubſtantiæ, & penitus aboleantur, in natura rem in nihilum redigere ſitum eſſet, quod ad efficiendum pares ad creandum vires requiruntur: Tantum tamen Naturæ nemo huc uſque tribuit Philoſophus.

Apud gentem Philoſophicam immaterialis Subſtantia dignior materiali; ſed hic oſtentum planè diverſum; Ignava Materia incorrupti-

bilem habet eſſentiam, cum Subſtantia illa nobilior & activa in nihilum redit. Muſcæ Materia nulla vi annihilari poteſt, cum Aquilæ vis ignea vulnere tenui frigeſcit, aut orbem ſuum, ullibi ſi ſit, petit.

Reſtat tandem Formam, cum Subſtantia non ſit, eſſe Accidens. Hoc autem clarius patebit, ex analogia inter Formas & Accidentia. Accidentia generantur & corrumpuntur, de novo oriuntur & in nihilum abeunt, ut ratio & experientia dictitant: eadem quoq; eſt Formarum lex in horas naſcentium & evaneſcentium.

Acci-

Accidentia diffunduntur per totum ſubjectum, minimas materiæ particulas penetrant, & pro ratione ſubjecti quanti & diviſi ipſa quantitatem & diviſionem ſortiuntur. Sic Formæ diffuſæ & diviſæ per Materiam.

CAP.

CAP. VII.

De Materia.

POst Formam de Subſtantiarum ſede eliminatam, quo jure Materia latifundium totum ſubſtantiale occupârit, animi pendere cœpi. Fortibus fateor ingeniis hac in Arena multum ſudatum fuiſſe, atqui olivæ deſiderantur. De Materia rerum prima à Philoſophis multæ latæ ſunt ſententiæ, de

de re ipſa tamen conjecturam cuique liberam fore ab iiſdem relictum eſt. Eſſe Materiam una voce contenditur, ſed quibus in terris quiſq; quærit, nedum quid qualeve ſit quod quæritur, mortalium cuiq; innotuit. Subſtantiam ſolummodo agnoſcunt, ex qua omnia fiunt & in quam omnia reſolvuntur. Quid tamen, quantum, qualeve ſit, minimè adeò auſi ſunt definire, ut quid, quantum aut quale eſſe omnino quidem negarint.

Quod Subſtantia ſit, ne credam, facit formarum non-ſubſtantialitas, in rerum enim

nim essentiis *Aristotelici* primas formæ detulere, adeò ut per eam res esse dicatur id quod est. Ubi essentiæ tantum tribuitur Formæ, ut ejusdem pars exigua restet Materiæ. Quomodo autem Forma, quæ plus rebus dat essentiæ, minus habeat, i. e. Accidens fit; Materia verò, quæ minus dat, plus essentiæ habeat, i. e. Substantia sit; & ambo interea idem intrent compositum, mihi nondum exploratum est. Informem Materiam habere essentiam per se existentem, seu ens esse per se: Formam verò esse Accidens, seu (ut dicunt) ens entis, Materiæ

teriæ, viz. cui tamen exiſtentiam de terminatam dat, ſupra omnem fidem paradoxum eſt. Hinc autem liquet quod Materia minus ſit Subſtantia; quam Forma, quæ ipſa Accidens ſupra probata fuit.

Idem ſuadet Materiæ paſſibilitas, affectus huic ab omnibus aſcriptus; cum Agens enim & Patiens ſub eodem ſint genere, neceſſe eſt Materia ſub eodem cum Forma contineri, utrumq; viz. Accidens eſſe.

Actionem præterea & Paſſionem inter contraria ſtatuere, qualia ſolummodo ſunt accidentia. Qualitates enim ſolæ propriè agere & pati

pati dicuntur. Nec Subſtantiæ inter ſe invicem contrariantur, agunt aut patiuntur, niſi per accidentia iiſdem inhærentia. Materia ideo ut patiens, æque eſt accidens, ac forma quæ agens eſt.

Neque Materiæ incorruptibilitas ipſam accidens eſſe prohibet, Peripatetico judice, cum quantitas ipſi connata non niſi ſecum ſit corruptibilis. Sed quàm congruè ſtatutum ſit, Materiam primam pati ſolam, haud corrumpi tamen poſſe, & Formam Paſſionis nequaquam eſſe capacem, h. e. quod patibile eſt, incorruptibile eſſe; quod verò pati nequit,

quit, perire, videant Authores.

Nec fluctuantes Scholarum distinctiones quid moror, quæ æternas alunt lites, & de quibus ex utrinq; quo quis se defendat, habet: In re enim fundamentum dummodo notiones non habeant, & explicationes, in immensa licet crescant volumina, si Rebus subſtratis sint impares, in earum fidem haud-quaquam sumus ducendi.

CAP.

CAP. VIII.

De Carteſii *Philoſophia.*

NOviſſimo hoc ævo natalibus & eruditione Vir inſignis *Carteſius* inauditam edidit Philoſophiam, quæ ſic ſe habet.

Tria ſecundum *Carteſium* hujus mundi aſpectabilis Elementa ſunt.

Primum eſt illius materiæ, quæ tantam vim habet agitationis, ut aliis corporibus

bus occurrendo, in minutias indefinitæ parvitatis dividatur, & figuras ſuas ad omnes angulorum ab iis relictorum anguſtias implendas accommodet.

Alterum eſt ejus, quæ diviſa eſt in particulas ſphæricas valde quidem minutas, ſi cum iis corporibus, quæ oculis cernere poſſumus, comparentur; ſed tamen certæ ac determinatæ quantatis, & diviſibiles in alias multo minores.

Tertium conſtat partibus vel magis craſſis, vel figuras minùs ad motum aptas habentibus.

Ex his omnia componit,

Solem, viz. & Stellas fixas ex primo, Cælos ex ſecundo, Terram cum Planetis & Cometis ex tertio.

Tandem Gyros & Vortices fingit innumerabiles, ubi quodlibet pro ſua facultate Elementum choræas agat, & Lector ſuus ſe mirè implicet. Et in fine Operis profitetur *Ariſtotelem* nil amplius præſtitiſſe : ipſemet enim in primo Meteorologicorum, initio Capitis ſeptimi expreſſe teſtatur, de iis quæ ſenſui non ſunt manifeſta, ſe putare ſufficientes rationes & demonſtrationes afferre, ſi tantùm oſtendat ea ita fieri poſſe, ut à ſe explicantur

cantur. Fortuita ſua principia minimè falſa putat, quia tam bene cohærent. Nihil tamen ab ullo credi velit, niſi quod ipſi evidens & invicta ratio perſuadebit.

Ubi ſummè dubium relinquitur quicquid Principiis hiſce ſuppoſititiis innititur. Et in errores incidimus mutatos, dum inſolenti huic Hypotheſi id debemus ſingulares, quod antehac communi magis conſenſu *Ariſtoteli* tulimus acceptum.

CAP. IX.

De Verulamii *Philoſophia.*

LIquidò nunc tandem patet, nos plurimam errorum partem ex Authoribus accepiſſe, Authores verò in Axiomatibus ſuis ſe fefelliſſe ipſos: Conceptus enim animorum ſuorum leves omnibus eſſe communes ſibi perſuadebant deinde & aliis. At Univerſalia malè

malè in rebus fundata, quæ tanquam æternæ veritatis posteris tradiderunt, suum hodie obiere diem. Hic autem animum serió advertere Philosophum velim, quòd Propositio de Omni, quæ in Demonstratione tanti fit, cum fit de omni individuo, non nisi per Inductionem debitam verificari potest: obstet enim de tot modò millibus unum, fallit Enuntiatum de Omni. Secundæ ideo (quas vocant) notiones, à rebus longè adeò abstractæ, ut cum iisdem cognationem ferè omnem amiserint, & parum dextrè Naturam explicent, missæ sint. Et, patefactis

factis Universalium dolis, Naturæ ut in rebus ipsis existit, nos applicemus, & id ex individuis inducamus, quod demonstrandum fuit. Cum autem Intellectus præjudiciis & receptis undique erroribus obsessus opus habeat, antequam Veri inventionem aggreditur, falsum deponendum agnoscat; Hoc suis indiciis quàm magnus *Verulamius* clariùs nemo prodidit, ut ex doctrina de Idolis ab illo tradita, proxime citataq; patebit.

Idola Tribus sunt fundata in ipsa natura humana atq; in ipsa Tribu seu gente hominum. Falso enim asseritur,

tur, Senſum humanum eſſe menſuram rerum; Quin contra, omnes Perceptiones, tam Senſus quàm Mentis, ſunt ex analogia Hominis, non ex analogia Univerſi. Eſtq; Intellectus humanus inſtar ſpeculi inæqualis ad radios rerum; qui ſuam naturam Naturæ rerum immiſcet, eamq; diſtorquet & inficit.

Idola Specus ſunt *Idola* hominis individui. Habet enim unuſquiſq; (præter aberrationes naturæ humanæ in genere) Specum ſive cavernam quandam individuam, quæ lumen Naturæ frangit & corrumpit; vel propter naturam

turam cujuſq; propriam & ſingularem; vel propter educationem & converſationem cum aliis; vel propter lectionem librorum, & authoritates eorum quos quiſq; colit & miratur; vel propter differentias Impreſſionum, prout occurrunt in animo præoccupato & prædiſpoſito, aut in animo æquo & ſedato, vel ejuſmodi: ut plane ſpiritus humanus (prout diſponitur in hominibus ſingulis) ſit res varia, & omnino perturbata, & quaſi fortuita. Unde bene *Heraclitus*, homines Scientias quærere in minoribus Mundis, & non in majore

jore ſive communi, queſtus eſt.

Sunt etiam *Idola* tanquam ex contractu & ſocietate humani generis ad invicem, quæ *Idola Fori* propter hominum commercium & conſortium, appellamus. Homines enim per Sermones ſociantur; At verba ex captu Vulgi imponuntur. Itaq; mala & inepta verborum impoſitio miris modis intellectum obſidet. Neque definitiones aut explicationes, quibus homines docti ſe munire & vindicare in nonnullis conſueverunt, rem ullo modo reſtituunt. Sed verba plane vim faciunt intellectui,

tellectui, & omnia turbant, & homines ad inanes & innumeras controverſias & commenta deducunt.

Et ſunt *Idola* quæ immigrarunt in animos hominum ex diverſis dogmatibus Philoſophiarum, ac etiam ex perverſis legibus Demonſtrationum, quæ *Idola Theatri* nominamus, quia quot Philoſophiæ inventæ aut receptæ ſunt, tot fabulas productas & actas cenſemus, quæ Mundos effecerunt fictitios & Scenicos. Neque de his quæ jam habentur, aut etiam de veteribus Philoſophiis & Sectis tantum loquimur, cum complures

aliæ

aliæ ejuſmodi fabulæ componi, & concinnari poſſint, quandoquidem errorum prorſus diverſorum cauſæ ſint nihilominus ferè communes. Neque rurſus de Philoſophiis univerſalibus tantum hoc intelligimus, ſed etiam de Principiis & Axiomatibus compluribus Scientiarum, quæ ex traditione & fide & neglectu invaluerunt.

Quia in Inductione verâ Spes ſumma ſita eſt, operæ pretium erit Inductionis etiam Verulamianæ adumbrationem quandam exhibere.

In

In ea opinione Vir ille Celeberrimus fuit ſi juſtam Naturæ & Experientiæ Hiſtoriam præſto haberent homines, atq; in ea ſedulò verſarentur, ſibiq; duas res imperare poſſent; unam ut receptas opiniones deponerent, alterum ut Mentem à generaliſſimis, & proximis ab illis, ad tempus cohiberent, fore ut etiam vi propria & genuina Mentis, abſque alia arte, in formam ſuam interpretandi incidere poſſent.

Eſt enim Interpretatio verum & naturale opus Mentis, demptis iis quæ ob-

obſtant. Sed omnia per ſua præcepta magis erunt in cinctu, & multo firmiora.

Inter-

Interpretatio Naturæ ſive Regnum Hominis.

SUper datum Corpus novam Naturam ſuperinducere, Opus eſt humanæ Potentiæ; huic ſubordinatur aliud, viz. Transformatio Corporum concretorum de alio in aliud intra terminos poſſibilis.

Datæ Naturæ Formam invenire intentio eſt humanæ Scientiæ: cui ſubordinatur inventio in omni gene-

generatione & motu, Latentis Proceſſus continuati ab efficiente manifeſto, & materiâ manifeſtâ, uſque ad formam inditam, & inventio ſimiliter Latentis Schematiſmi corporum quieſcentium & non in motu.

Forma eſt Lex corporum individuorum edentium actus puros individuos. Hujus inventionem ſequitur Contemplatio vera & Operatio libera.

De Præcepto operandi pronunciatum tale eſt; ut ſit certum, liberum, & diſponens ſive in ordine ad finem.

De

De Axiomate sciendi, tale; ut inveniatur Natura alia, quæ sit cum natura data convertibilis, & tamen limitatio sit naturæ notioris, instar generis veri.

Hæc duo idem sunt, & quod in agendo utilissimum, id in sciendo verissimum.

Inquisitio Formarum constituit Metaphysicam, huic subordinatur Magia.

Inquisitio Efficientis, Materiæ, latentis Processus, & latentis Schematismi Physicam constituit, cui respondet Mechanica.

Inquisitio

Inquiſitio Formarum ſic procedit.

SUper Naturam datam primo facienda eſt comparentia ad Intellectum omnium Inſtantiarum notarum, quæ in eadem Natura conveniunt, per Materias licet diſſimillimas. Atq; hujuſmodi collectio facienda eſt hiſtoricè, abſq; contemplatione præfeſtina, aut ſubtilitate aliqua majore. Hæc eſt Tabula Præſentiæ.

Secundo, facienda eſt Comparentia ad Intellectum Inſtantiarum, quæ Naturâ datâ privantur; quia Forma non minus abeſſe debet, ubi Natura data abeſt, quàm adeſſe ubi adeſt. Hoc verò infinitum eſſet in omnibus.

Itaq; ſubjungendæ ſunt Negativæ Affirmativis, & Privationes inſpiciendæ tantum in illis Subjectis, quæ ſunt maxime cognata illis alteris, in quibus Natura data ineſt. Hæc eſt Tabula Abſentiæ in proximo.

Tertio, facienda eſt Comparentia ad Intellectum Inſtantiarum in quibus Natura, de

de qua ſit Inquiſitio, ineſt ſecundum magis & minus; ſive facta comparatione incrementi & decrementi in eodem ſubjecto, ſive facta comparatione ad invicem in diverſis ſubjectis. Cum enim Forma rei ſit ipſiſſima Res; neq; differat Res à Forma, aliter quàm differunt Apparens & Exiſtens, aut Exterius & Interius, aut in ordine ad Hominem, & in ordine ad Univerſum; omnino ſequitur, ut non recipiatur aliqua Natura pro vera Forma, niſi perpetuo decreſcat quando Natura ipſa decreſcit, & ſimiliter perpetuo augeatur quando

Natura ipſa augetur. Hæc eſt Tabula Graduum.

Factâ Comparentiâ, in opere ponenda eſt ipſa Inductio. Invenienda enim Natura talis quæ cum natura data perpetuò adſit, abſit, atq; creſcat & decreſcat. Hoc ſi mens jam ab initio facere tentet affirmative, occurrent Phantaſmata, & Notionalia male terminata. Procedendum ideo per Negativas, deſinendum in Affirmativas poſt debitam Excluſionem.

Naturæ facienda eſt prorſus ſolutio & ſeparatio; non per Ignem certè, ſed per Mentem, tanquam Ignem

nem divinum. Eſt itaque Inductionis veræ opus primum (quatenus ad inveniendas Formas) Rejectio Naturarum ſingularum, quæ non inveniuntur in aliqua Inſtantia, ubi Natura data adeſt. Aut inveniuntur ubi Natura data abeſt, aut inveniuntur in aliqua inſtantia creſcere, cum Natura data decreſcat, aut decreſcere, cum Natura data creſcat. Tum vero poſt Rejectionem & Excluſivam debitis modis factam, ſecundo loco (tanquam in fundo) manebit (abeuntibus in fumum opinionibus volatilibus) Forma affirmativa, ſolida, ve-

ra, & benè terminata.

Ad Philoſophiam hac viâ perficiendam ſymbola ſua contulerunt Viri Ingenii & Fortunæ dotibus Eximii Regia Societas. Et per ſua Experimenta, & ſagaces inde ratiocinationes, multum profecere, ulteriorem indies veritatem in lucem prolaturi.

CAP.

CAP. X.

De Principiis Chymicis.

QUum autem hanc Philoſophandi methodum Chymia quemvis ſuadere poſſit, Artem hanc Naturæ æmulam in Principiis ſuis conſiderabimus.

Hic Artifex ſenſatus non noetica, ſeu potius inexplicabilia, jactitat cum *Ariſtotelicis* principia; ſed corpo-

rum ſenſibilium principia ſenſibilia ponit tria, quæ manibus tractare & oculis videre eſt, viz. Mercurium, Sulphur & Sal. Non quòd quæ in Officinis proſtant, ex quolibet corpore Chymicè poſſunt erui, verùm quòd Mineralibus illis ſint ἀνάλογα, & tantùm inter ſe differant eſſentia, proprietatibus & actionibus, quantum illa in ſuo genere minerali.

Mercurius eſt liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis; æthereum ac puriſſimum illud ὑσιῶδες, vivificum & ſpirituoſum, pabulum vitæ, & Formæ proximum inſtrumentum. Confertur

fertur Elemento Aeris & Aquæ: illi quatenus caloris vicinia alteratus facile in auras abit; huic, quatenus (ut ea) difficulter proprio, facile autem alieno, termino continetur.

Sulphur eſt balſamum illud dulce, oleaginoſum & viſcidum, nativum partium calorem conſervans, omnis vegetationis, accretionis & tranſmutationis inſtrumentum, odorum tum gratorum tum ingratorum fons & origo: Aſſimilatur igni propter flammam, quam facilè concipit: vim habet leniendi & extrema contraria conglutinandi. Sicut enim

nun-

nunquam tenacius lutum confeceris ex aqua & arena, niſi calcem aut aliquid glutinoſi commiſcueris : ita nec Mercurius volatilis & Sal fixus coire in unam Subſtantiam tenaciter poſſunt, niſi vinculo & copula Sulphuris, quod utriuſq; Principii particeps. Salis Siccitatem, & Mercurii liquiditatem ſua viſcoſitate, Salis denſitatem & Mercurii permeabilitatem molli ſua fluiditate, Salis amaritudinem & Mercurii aciditatem dulcedine ſua contemperat.

Sal eſt corpus illud ſiccum, ſalſum, res miſtas à putredine defendens, mirabilibus

bus diſſolvendi, coagulandi, detergendi & evacuandi facultatibus pollens, à quo omnis rerum ſoliditas, determinatio, ſapores & aliæ infinitæ virtutes. Reſpondet terræ, non qua hæc eſt frigida & ſicca, ſed qua elementum hoc eſt firmum, fixum, & generationis corporum omnium ſubjectum.

Dum nobiſcum autem reputemus, quantas in Generatione rerum vices calor ſubeat, idonea rei generandæ aſſimilando, inepta verò & excrementitia ſegregando: In hanc Artem Naturæ germanam cum admi-

miratione trahimur, ut quæ quam ulla alia plus in Natura ipsa effecerit.

CAP.

CAP. XI.

De Materia & Substantia.

ANtequam Materia aqua & igni, immo terra & aere interdicatur, ſecundò in jus citetur, decet. At rea ultrò ceſſit in exilium, nec noſtrum eſt eam ſiſtere in judicio.

Ex Figulis, & Fabris, quid informis ſit Argilla, quid Sylva cædua, edocti fuerunt

fuerunt Philoſophi ; hinc craſſâ profectò *Minervâ* Materiam finxerunt & in Formas dedolârunt. Sed, quod pueris evenit, ludicrè curſitantia eorum ingenia Materiam meminiſſe poſſunt, hoc tamen, quodcunq; viderint, adeò obliti fuere, ut quid, quantum, qualeve fuiſſe, eos prorſus fugiat ; eſſe verò, ſiqua fides, nemo dubitet. At quibus tandem indiciis res ſe prodat, quid, quouſq; extendatur, quærentem ludit : *Medea*, immo hoc tota *Colchis* nos velim edoceat. Fatemur præcordia nobis craſſiora non Entibus non moveri, & oculis noſtris

noſtris(Lyncæis bene ſit) caliginem tantam effundi, ut Materiam nec intueri, nedum palpare poſſimus.

Tanta Moles——
--Fugit indignata ſubumbras.

Materiam cerâ qualibet molliorem, & Formarum ſphragiſterii capaciſſimam finxiſſe veteres ſupra vidimus, nec ſine ratione; notionibus enim, cerebro & tenello cedentem invenimus.

Erroris autem origo altiùs repetenda eſt. Rem ſalvam ſatis judicant Materiam in Subſtantiam rejiciendo, Accidentibus licèt deſtituatur.

atur. Quum omnium qui ad hunc fuere diem calculis Subſtantia ſtatuatur (adeò ut in ore Philoſophantium, nil ſit magis tritum, in eorundem ſententia nil firmius habeatur) στέρεως crimen non fugiat, de Subſtantia qui dubitâſſe poteſt. Ipſe, Veritate ſiquid haberem antiquius, quos non injicerem ſcrupulos, quam non præfarer veniam, antequam ex doctorum animis Notionem à doctiſſimis receptam evellerem? Sed quum ſint & res quæ nomine carent per inobſervantiam, & nomina quæ rebus carent per ſuppoſitionem phantaſticam, inter

inter nomina inania Subſtantiam collocare non dubito. Hoc ens entium omnibus habitum in non ens abibit, refragante quanquam plurimâ Authoritate: & Prædicamentum primum, cui novem alia ſuam tribuere eſſentiam, in rerum natura dum ſummum petit, ne locum quidem invenerit.

Nominis originem quoad attinet, Græcis eſt οὐσία, quæ propriè vertitur *Eſſentia*; & ὑπόστασις, *Subſtantia*, ab Accidentibus ſubſtando. Quid verò rei ſit quod ſubſtat, ſeu potius an ſit, in quæſtionem cadit.

Quum Principia prima et-

iam ſecundùm *Ariſtotelicos* aliam non admittat probationem, quam quæ per Inductionem fit, nec hac viâ rectius ſit aliud ad verum Iter, in Individuo ni Subſtantia inveniatur, precarium, immo nullum, ipſa habebitur principium.

Hujus inveniendæ gratiâ, ad examen vocemus hoc Aurum, cujus quòd Senſum non feriat Subſtantia, in conceſſo eſt : de inſenſibili ideo reſtat intellectui judicium. Maximè autem probabile eſt, per abſciſſionem intellectualem accidentium à Subſtantia ipſam in lucem venire Subſtantiam. Hiſce verò de

Sub-

Subſtantia ſeparatis tantum remanet, quantum de Duorum ſumma, Uno & Altero ſubductis. Licet quantum, fulvum, grave, ductile & alia Accidentia de hoc Auro prædicentur, & durum videatur dictu, Materiam ſeu Subſtantiam Auri non eſſe horum Accidentium Subjectum (ita enim loquendi uſus inolevit) propius tamen cogitanti omnia hæc Accidentia ſimul ſumpta totum ſui de hoc Auro conceptus latitudinem complent, nec præjudicatæ Subſtantiæ umbra quidem imaginanti reſtabit, ſi omnia abſtrahantur Accidentia. Et

Nummularius non malè philoſophatur, dum ex Accidentibus Aurum probum pronunciat. Ex hiſce certè probatis Aurifex magis ſcientificè concludit Aurum eſſe, quàm Peripateticus poteſt ex Materia & Forma.

Præterea, quicquid in Mentem venit, quicquid ſub Senſum aut Intellectum cadit, ſub Accidentis, aut Accidentium Aggregati ſpecie apprehenditur.

Accidentia eſſe Senſuum objecta, nempe Colores viſus, Sonos auditus, Odores olfactus, Sapores guſtus, Qualitates tangibiles tactus, inficias nemo it. De quovis corpore

corpore tolle hæc, quod reſtat non ens merum erit : Sin Accidentibus ſubductis entis vola vel veſtigium ſuperſit ; hoc quicquid ſit prodat animus ſagacior, de Materia, & Subſtantia ſat nobis conſtabit. Sed ad *Qualitatum* ideas ſolas Senſus eſt vigil, his amotis apathoi ſumus & ſtupore alto occupati.

Intellectus objecta ſunt pura puta Accidentia. Subſtantia vulgò dividitur in immaterialem, & materialem. Immaterialium (ut vocant) Subſtantiarum neſcii adeò ſumus, ut niſi per operationes immateriale quid dari

non conſtat, cujus Subſtantia temerè ſupponitur. Spectra ſiquis objiciat, materialium indumento veſtita ſe ſenſui reddunt, & eatenus objectio cum larvâ tenues evaneſcit in auras. In entitatis Authore ipſo Accidentia ſive Attributa de illius eſſentia aſſerere Theologi non veriti ſunt; ita & nos, quæ ad Sacroſanctum illius exemplar facta ſunt bona, his Accidentia eſſe pro vera eſſentia affirmamus.

Materialem Subſtantiam quoad attinet, verum eſſe concedimus Axioma *Ariſtotelicum*, nil eſſe in Intellectu, quod prius non fuit in Senſu.

Senſu. Sub Senſu verò cadere nullam materiam ab Accidentibus aliam ſupra probatum fuit. Et ab hoc, niſi inſanire fortè libeat, omnia in naturalibus petenda ſunt.

CAP. XII.

De Veris rerum Principiis.

PRivationis, Materiæ & Formæ, ut & Subſtantiæ futilitatem, & Principia quàm in re nullum habeant fundamentum, qualia recepta ſunt, vidimus. Et novitatis quia nec ſtudio, neq; contradicendi abripimur; ſed Veritati, in puteo (ut aiunt) latenti facem præ-

præferimus, ac hujus in indagine toti ſumus, poſt erronea everſa Principia, nobis ſupereſt, in quo, & ex quibus quid conſtat, explicemus.

Hoc dum aggredimur, præcipuè monendi ſumus, nequid nobis incognitum ſupponamus: ſummæ enim temeritatis & effrontis ignorantiæ eſt, id eſſe pronunciare, quod nullo modo an ſit cognoſcitur. Intra nobis tamen ſcibilis cancellos compingendum eſt, quicquid eſſe aſſerimus.

Quæcunq; ſub perceptionem noſtram cadunt, vel tanquam Res ex Accidentibus

tibus aggregatas, vel tanquam Accidentia, vel tanquam æternas Veritates, conſideramus.

Rerum duo ſunt genera; unum cogitativarum, alterum extenſarum. Ad cogitativas pertinent Perceptio, Volitio, &c. ad extenſas Figura, Motus, Situs, &c.

Extenſio in longum, latum & profundum, Corporis naturam conſtituit.

Cogitatio complet rei cogitantis naturam.

DEUS eſt Cogitans, Increatus, Independens.

Æternæ Veritates ſeu com-

communes Notiones ita vocantur, quòd ab omnibus clarè percipiantur.

CAP.

CAP. XIII.

De Principiis rerum Corporearum.

PRincipia Conſtitutionis ſunt Accidentia; Tranſmutationis Accidentium Contrarietas.

Origo Accidentium eſt Creatio vel Concreatio.

Inter Corporea Quantitas eſt prima, quæ quidem à re extenſa non differt. Nec alia

alia rerum corporearum materia agnoſcenda, quam illa omnimodè diviſibilis, figurabilis & mobilis, quam Geometræ Quantitatem vocant, & pro objecto ſuarum demonſtrationum aſſumunt, nihilq; de Quantitatis diviſione, figura & motu pro vero admittendum, quod non ex communibus illis notionibus, de quarum veritate non poſſumus dubitare, tam evidenter deducatur, ut pro Mathematica demonſtratione ſit habendum. Et animadverti poſſit, non parvi momenti in Phyſicis fuiſſe Mathematica, ſive rerum texturam ſecundùm Atomi-

cos

cos (quorum non contemnenda doctrina) ſpectemus, ſive multa utilia inventa in Mechanicis, & certiſſima, quæ adhuc habere poſſumus, de Cœlis Theoremata, de quibus plurimis certius nobis conſtat, quam de ulla parte alia Phyſicæ. Quantitatem autem in corporum ſingulorum textura pro ſtamine ponimus (& Scepticum exhibere Corpus ſine Quantitate provocamus.) Sed alterum & varium genus fili ut Subtegmen rem ingreditur, quod proximæ conſiderationi ſubit.

Quantitas cuilibet individuo corpori communis eſt.

eſt. Qualitatum (quas vocant primas & ſecundas) una huic Corpori ineſt, alia alteri, & ſecundùm has Corpus in ſuas ſpecies dividitur.

*Q*ualitates primæ ſunt, Lux, Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas. Secundæ ſunt Tenuitas & Craſſities, Gravitas & Levitas, Fluor & Conſiſtentia, &c.

A *Q*ualitatibus profluunt operationes & operandi vires.

De Cælis præter *Q*uantitatem certi nil novimus.

Ele-

Elementa videntur quatuor, ex *Qualitatum* Syzygiis conflata.

In Terra copulantur Frigiditas, Humor, Denſitas, Gravitas, & Conſiſtentia.

In Aqua uniuntur Frigus, Humor, Denſitas remiſſa, Gravitas & Fluor.

In Aere vinciuntur Caliditas remiſſa, Humor debilis, Levitas, Tenuitas, & Fluor ſummus.

Ignis nil aliud eſt quam Calor intenſior.

Ex partibus quantis diverſimodè qualificatis, ſeu ex *Quantitate*, & *Qualitatum* variarum mixtura, quæ Ma-

Materiæ vice ſint, omnia conſtant Corpora : ex ſimpliciore mixtura Elementa, quæ pura tamen nullibi inveniuntur ; ex mixtura ulteriore à priore oriundâ Mixta fiunt.

Ex ejuſmodi autem *Qualitatum* mixtura orta *Qualitas*, quæ Temperamentum vocatur.

Menſura moduſq; omnium Temperamentorum, & Simplicium & Mixtorum datus & fixus eſt in prima Creatione ; à quibus primitivis exemplaribus ſi Natura erret exceſſu defectuve, monſtrum & deforme quid fit.

Generare ſibi ſimile, non Viventis ſolius, ſed generaliter omnium Qualitatum Activarum proprium eſt, ſive ſimplices illæ & ſolitariæ ſint, ſive copulatæ in certa combinatione.

Qualitates hæ ita ſunt ſui diffuſivæ, & ſimilium generativæ, ut neceſſariò *Quantum* ſibi proportionatum efficiant, quò liberum habeant virium ſuarum exercitium.

Itaq; Vis plaſtica ſeu formatrix immediatè & primò in ipſis *Qualitatibus* fundatur, quæ quo ſimpliciores ſunt, eò ſimpliciorem & magis uniformem Quantitatis con-

configurationem postulant; quo autem pluribus diversarum Qualitatum mixturis complicatæ & compositæ sunt, eo magis variam & difformem partium effigiationem requirunt, & producunt.

Mixtio quò longiùs descendit à simplicitate, eo exquisitior & subtilior est, quia magni est Artificii tot qualitatum & combinationum difformitates in unam vincire: atqui tanto informior est mixtura, quanto magis composita est, quia pluribus constant qualitatum contrarietatibus. Hoc in metallis, plantis, anima-

libuſq; invicem comparatis cernitur.

In viventibus eſt reciproca Temperamenti propagatio, ex Semine Viventis, ex Vivente Seminis.

Vis prolifica & vivifica in Semine non eſt ab aliqua ſubſtantia immateriali & Spirituali, Semini (ut diu ſomniatum fuit) inhærenti, ſed à ſolarum Qualitatum ingenioſa, ſubtili, pura & ſpirituoſa temperatura.

Hæc vis actu ineſt in Semine, ſed ſopita jacet, niſi admoto Coagente, in & à quo Virtus iſta excitetur. Perinde ut Piper non urit niſi ſalivâ admixtum. Et Spiritus

Chy-

Chymici in rebus latentes igne admoto extrahuntur.

In Plantis, Terra seminibus foturam veluti in Matrice præbet, tum calorem à Sole acceptum, tum humorem aptum suppeditando: quibus calidi humidiq; seminum Spiritus acuuntur & inflati turgent, partes extendunt proportionibus idoneis, & virtute sua effigurant.

In Animalibus oviparis etsi opus sit Mare & Fœmina ad generationem Ovorum fœcundorum (nam subventanea fiunt à sola fœmina) tamen ad generationem Pulli sufficit quivis calor sive

animantis cujuſquam, ſive inanimati, ut Pulveris, Fimi, Solis, Fornacis. Quia enim in vitello humoris ſatis eſt ad nutrimentum, opus tantum erit Calore externo ad excitandas Spirituum & Caloris vires generativas in Albumine.

In Viviparis utroq; opus eſt Sexu ad efficiendam unam Seminis maſſam generationi idoneam. Et Mas & Fœmina active concurrunt, ille magis, hæc minus. Copulatis & exquiſite mixtis utriuſq; Seminibus, ſpirituoſiſſima totius maſſæ pars aucta & inflata per calorem Uteri & humorem menſtrui varie ſe commo-

movet, dilatando, condenſando, effingendo reliquam partem ignaviorem, pro Qualitatum & Operationum neceſſitate.

Ad Generationem Viventis abſolute Semine opus non eſt, ſufficit enim *Qualitatum* vivificarum mixtura & concurſus etiam in alio corpore : ut patet in plantarum propagatione per gemmæ inoculationem, in earum & Animalium quoq; ex putridis genitura.

Nunc autem non eſt, quòd animos Formâ aut Materiâ, nec Subſtantiâ quidem, cruciemus. Materiam enim aliam præter Quantitatem &

Qualitates non agnoſcimus; nec Formam, ſive in Vegetetativis, ſive in Senſitivis, niſi Temperamenta nobiliora Qualitatum actuoſiorum in partibus ſubtilibus, puris & ſpirituoſis, ſive ex ſemine ſive alio modo propagata. Et Subſtantiam omnino negamus, nam quod ſubſtet Accidentibus, nihil eſt.

CAP.

CAP. XIV.

De Principiis Medicis.

DUm tota Speculatorum turba mentes in Subſtantiam intendunt, qui negotium cum Individuis habent, ex neceſſitate quadam in Veritatem feruntur. Medici enim dum Naturam viſunt in ægroto & in pharmaco, ſub Qualium ratione omnia

omnia apprehendunt & tractant. Scientiarum ille Inſtaurator teſtatur, quod *Medici in ſecundis rerum qualitatibus & operationibus, attrahendi, repellendi, attenuandi, inſpiſſandi, dilatandi, aſtringendi, diſcutiendi, maturandi & hujuſmodi, operam præſtant meliorem.* Qualitatum enim doctrina rem medicam non ornavit modò, etiam implevit: has Medicinæ Antiſtites in varios ordines diſtribuerunt; quid de iis ſentiunt, breviter quam fieri poteſt exponam.

A Calfactione procedit tenuatio craſſi, ſi liquidum ſit, in vaporem: ſic intra corpus

corpus fiunt pituitæ & ſimiles affectus: foràs vacuatur halitu inſenſili aut ſenſili. Si craſſum ſiccum fuerit, aut humidum, ſed minus exhalans, tenuiorum partium evadit. Calidum fundit à frigore concreta, ut ſcirrhos in corpore, fundendo mollit, obſtructa liberat, rarefacit denſa, poros & meatus; trahit foras admotum; intro ſi ſumptum, evocat rem à ſe tenuatam per meatus à ſe apertos. Calor nativus coquit alimenta & humores coqui habiles; præter naturam & violentus corrumpit, internus & externus moderatus partibus naturâ

frigi-

frigidis amicus; uterque immoderatus inimicus, homogenea cogit, heterogenea ſeparat. Calor per accidens refrigerat evacuando calida. Per accidens item ſiccat, reſoluto humido in vapores. Per accidens deinde humectat, fundendo quæ à frigido concreverunt.

Frigus craſſat, durum concretione facit, denſat poros cutis & meatus, repellit, coctioni reſiſtit, adverſatur partibus quibus calor amicus eſt. Frigidum præter naturam corrumpit. Per accidens Frigus calfacit poros claudendo, & tranſpirationem inhibendo.

Sic-

Siccum durat humorem ebibendo.

Humidum mollit.

Tenuantia ſunt calida, tenuium partium. Craſſantia ſunt frigida, craſſarum partium. Durum eſt, cui caro noſtra temperata cedit, molle quod cedit eidem. Rarefaciens, quod poros cutis dilatat, calidum modicè, ſiccum minime, tenuium partium. Denſans poros contrahit, frigidum, aqueum, non aſtringens. Anaſtomoticon, ora venarum & arteriarum aperiens, eſt calidum, acre, craſſarum partium, & terrenum. Stenoticum, eadem ora contrahens,

eſt

eſt frigidum, aſtringens, craſſarum partium, non acre. Attrahens, ſuccos ex alto vehementiùs evocat, calidum, tenuium partium. Repercutiens, ſuccos occurrentes in altum repellit, frigidum eſt, craſſarum partium; aſtringens, ut acerbum & auſterum, magis repellit. Emplaſticum, poris corporis illitum tenaciter hæret, eſt glutinoſum, terrenum, non acre. Eccatharticum, ecphracticum, & tergens, eſt acre, partium per aduſtionem tenuium, non glutinoſum. Emphractica obſtruunt multitudine, craſſitie, lentore. Anodynum modicè calidum,

tenuium

tenuium partium. Odyneron, quicquid affatim alterat, aut continuum ſolvit. Suppurantia ſunt humida & emplaſtica. Eſcharoticum, calidum ſiccum quarto gradu, craſſæ eſſentiæ, odyneron. Septicum calidum ſiccum minus, eſſentiæ tenuioris, exiguo dolore aut nullo. Cathæreticum ſeu ſarcophagon calidum ſiccum minus quàm ſepticum. Sarcoticum eſt ſiccum primo gradu, detergens modicè, non aſtringens. Colleticum eſt ſiccius Sarcotico, aſtringit, non terget. Epuloticum magis adhuc aſtringit. Diureticum eſt Eccatharticum. Lac gignunt

nunt calida & Humida. Menagogum eſt calidum magis, ſiccum modicè. Quæ Semen gignunt & provocant, calida & flatuoſa. Extinguunt refrigerantia & deſiccantia. Cathartica ſint licet manifeſtis (quas vocant) qualitatibus prædita, his tamen vim ſuam purgandi minimè debent, ſed propriæ craſi: Ejuſdem rationis ſunt, quæ parti aut morbo peculiari ſpecificæ ſunt medelæ. Hæc libris Simplicium aliiſq; locis docuit *Galenus*.

Sic Homo DEI operibus præpoſitus ſui ſecundùm conſtitutionem Provinciam ſibi creditam æſtimat. Quod tem-

temperamento connato æquale eſt, id amicum ille habet; eidem temperamento anomalon, ut intemperatum, ſibi & iniquum præterit. Quum variis verò modis ſubdita minùs temperantia vim faciant Domino, & de ſtatu æquabili pacatoq, eum dejiciant, oppoſitarum partium mancipia, ut in bello ſervili non ſemel evenit, ad pugnam manumittuntur, & *umbone repellitur umbo*? Et rerum vires homo reſpectu ſui hunc in modum æſtimat; Temperatum quicquid eſt, nullo modo corpus humanum temperatum alterat. Intemperatum quaterni eſt ordinis

ſeu gradus: Quorum primus hominem obſcurè alterat: Secundus manifeſtè, citra tamen læſionem: Tertius vehementer cum læſione, ſine tamen corruptione: Quartus vehementiſſimè, non ſine graviſſima læſine corpus alterat. Et cuilibet præterea gradui tres aſcribuntur manſiones ſeu latitudines. Hoſce autem gradus Ratio diſterminavit; per Senſum in *Qualitatum* ipſarum cognitionem incidimus: Harum enim Species Senſus recipiunt, & ad Facultates judicantes tranſmittunt. Ubi notandum, Senſationem eſſe quandam paſſionem & Senſata eſſe effectus;

cau-

cauſarum verò dijudicationem Rationis eſſe, & ab effectibus commodiſſimè rerum virtutes æſtimari. Et hiſce in rebus Senſus ſolus Scientiæ eſt fundamentum: Nil enim calidum, diſcutiens aut purgans eſſe novimus, idem ni tale fuiſſe Senſu priùs experti fuerimus. At quia *Q*ualitates quaſdam alteri peculiariter conjunctas obſervavimus, ratione colligimus aliam ex alia. Sic acida, auſtera, & acerba quia corpus frigefaciunt, ſiquid occurrat acidum, auſterum, vel acerbum, idem pronunciamus & frigidum. *Q*uia acria, ſalſa, & amara nos calefaciunt, ſiquid percipi-

mus acre, falsum, aut amarum, idem colligimus esse calidum, tactus licet refragetur. Sensu itaq; quandoq; solo, Sensu aliquando simul & Ratione, quid quodq; valeat exquirimus, & ex sensibili alteratione in corporibus humanis factâ operationes rerum præcipuas experimur.

Quomodo ex primis Qualitatibus pendent secundæ, ex secundis tertiæ, ex his verò quartæ non hic definiendo locus. Non enim in ea sumus sententia, posteriores omnes qualitates ad primas, ut ad causas, esse reducibiles, forsitan & ortæ quæ habentur, genuinos earum natales

natales modò conſulamus, iiſdem æquævæ invenientur, quibus originem ſubmiſere ſuam : Variæ enim quæ in eodem occurrunt qualitates, à ſe invicem originem non habent.

Neque adhuc in Mechaniſmos ſuos affabrè excogitatos Moderni quem cogant : Ponatur enim Atomus ; idem hoc aut illo modo figuratus ut & ſolidus conſiderandus eſt. Unde liquet Accidentia ipſius Atomi eſſentiam conſtituere. Novimus Hominem ex pulvere ſeu Atomis primitus fictum. Corpora in miſtionibus in partes inſectiles reſoluta, & multa ſecundùm

dùm doctrinam Atomicam commodè explicata lubenter agnoſcimus: Sed Naturam adeò Mechanicam, ut omnia ad normam quadret, non putamus, aut trochleâ, cochleâ, vecte & cuneo ut opera ſua moliatur. Si hanc interpretandi viam ingredimur, quot ex manifeſtis occultæ erunt qualitates? Cauſarum certè ratio ita inexplicabilis: Et in ejuſmodi cauſis aſſignandis operoſiores, ne perdant oleum, videant, cauſæ, quam aut aliam aut nullam habet, rem adſcribendo.

Galenum Medicorum Principem de quatuor Elementis agentem ſiquis perpendat,

Principia

Principia sua in Qualitates primas aut earum syzygias sponte quasi fluere inveniet: Quemadmodum hodie Medici de Temperamentis loquentes per Humores de Qualitatibus quibusdam præcipuis se intelligi volunt. Ignis & Calor non soli & secundùm quosdam sunt univoci, sed Terra, Aqua & Aer cum *Q*ualitatibus in se dominantibus eadem secundùm veritatem sunt. Chymici etiam energiis elati, infra modum suum humile, in Materiam & Formam Arcana referre censent, & meritò; Accidente enim unico, sc. Calore, tot miras transmutationes

tationes perficiunt, ut Naturæ ipsius æmuli fiant, qui dum alterant Accidentia, Speciem rei novam inducunt. Manifestarum *Q*ualitatum quæ sit causalitas unius in alteram secundùm Medicos, supra vidimus: Occultæ verò Operationes, quæ Formæ, ut causæ, huc usque concessæ sunt, facili negotio in Temperiem illam nobilem, quam Formam solam agnoscimus, rejiciuntur.

FINIS.